

Eodem die post prandium hora 19 se contulit ad locum [96v] Lummii plebis Aregni Aleriensis dioecesis. Sciendum tamen est quod antequam illuc pergeret voluit ut omnes absolventur ab excommunicationibus iam a pluribus annis cedulonibus, notificationibus et epistolis editis ab ordinario pro tempore, attenta notissima controversia communitatis et populi cum asserto plebano Fabiani, ut ex actibus (etc.), et de quo extat adhuc lis sub Sacra Congregatione Concilii, sed tamen ad cauthelam, ad effectum ostendendi censurarum gravitatem, quae quidem in hoc Regno pro nihilo habentur, et ne populis videatur posse a seipsis de nullitate et validitate censurarum diudicari; atque ita factum fuit, ut ex actis (etc.).

Itaque Dominatio Sua illustrissima hora 22 ad eum locum pervenit et statim ad ecclesiam accessit, ubi concionem audivit, et deinde ad aedes parochiales se recepit, in quibus quievit.

Die 13 accessit ad ecclesiam, ubi reverenter fuit receptus a reverendis sacerdotibus dicti loci et a populo; ibi omnia de more persolvit; tum celebravit missam et deinde habuit absolutionem mortuorum. Hinc reverendissimus pater theologus [97r] consuetum sermonem habuit ad populum ad disponendum ut digne sanctissimum Sacramentum reciperet. Illustrissimus ad reverendissimus dominus met communicavit maximum numerum, caeteris adjuvantibus sacerdotibus; et ita communionem generalem peregit. Deinde pontificaliter indutus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod bene asservatur, eoque demum populum benedixit.

Visitavit baptisterium et sacra olea, omnia munde retenta. Ecclesia, de qua modo, non est parochialis, sed viceparochialis, atque dicata sancto Antonio Abbati. Altaria sunt novem. Altare maius, in quo asservatur sanctissimum Sacramentum. Secundum, beatæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, et manutinetur a confratribus societatis in eo erectæ. Tertium, sanctissimi Rosarii, quod pariter manutinetur a consorioribus societatis. Quartum, sancti Francisci Xaverii iurispatronatus familiae dominorum de Franceschinis. In eo est erecta cappellania, cuius initii tempus ignoratur, a quondam reverendo Iosepho Franceschini, dotata in summa librarum 3000 cum onere missarum 120. Modo satisfit dictis missis a reverendis Carolo Antonio, Iacobo [97v] et Ioanne Martino de Franceschinis, qui omnes iurarunt se adimplevisse. Quintum altare, Angelorum Custodum, nuper dotatum a reverendo sacerdote Ignatio Leca cum onere missarum quinque in qualibet hebdomada, prout ex testamento anni 1758 rogato a notario Ioanne Baptista Costa terræ Calenzanæ. Cappellanus modo est reverendus sacerdos Antonius Leca, qui pariter iuravit de adimplemento. Sextum altare, sanctissimæ Trinitatis iurispatronatus quinque familiarum de Lecis. In eo altari sunt 4 legata pia: primum librarum 200, relictum a quondam sacerdote Francesco Leca; secundum pariter librarum 200, relictum a quondam Caecilia matre dicti sacerdotis; tertium librarum 150, quondam Iuliae filiae quondam Rinaldi Leca; et ultimum librarum centum, relictum a quondam Rocchetta Leca; et ex fructibus tot missæ celebrari debent in eodem altari, et sunt in totum missæ

80 in anno. Septimum altare, Animarum Purgantium. Octavum, sancti Ioannis Baptistae Praecursoris et sancti Ioannis Evangelistae, aedificatum anno 1618 a quondam Beniamino Renucoli. Legata pia eiusdem sunt: primum **[98r]** census librarum 200, quondam Ioannis Baptistae Renucoli, cum onere missarum 40; secundum librarum pariter 200, quondam Ioannis Octavii Renucoli, cum onere missarum 32; tertium librarum centum, quondam Nicolai Renucoli, cum onere missarum 20; quartum librarum 150, quondam Stephani Renucoli, cum onere missarum 30; quintum librarum 300, quondam Antonii Cardoni [?], cum onere missarum 60; sextum librarum 100, quondam Antonii Martini Giacometti, cum onere missarum 12. Denique sunt duo legata librarum 300 pro suppellectilibus dicti altaris, quarum fructus pro rata librarum biscentum solvuntur a familiis Renucoli, et pro residuo a Francisco Vinciguerra (etc.).

Nonum denique altare sancti Antonii Abbatis titularis ecclesiae. Praeter dicta altaria iurispatronatus privatorum, reliqua omnia pertinent ad communitatem quoad manutentionem. Dicta altaria et ecclesia bene ornata sunt et munde retenta; unde solum pro suppellectilibus nonnulla praecepit, ut in decretis, ad quae (etc.). In turri campanaria una ex duabus campanis est fracta et eam restaurari praecepit.

**[98v]** In eadem ecclesia erecta est societas sub titulo sancti Antonii Abbatis, quae prae nonnullis dissidiis, de quibus generice loquar, a multo tempore male se habet, et idcirco novum aedificium casazzae intermissum est. Et ita (etc.) ad suam residentiam rediit.

Post prandium hora 20 illustrissimus dominus in dicta ecclesia habuit sacramentum Confirmationis.

Successive perexit ad visitandam antiquam parochialem ecclesiam Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli. In ea duo sunt altaria. Maius dictis sanctis dicatum; secundum a cornu evangelii non adhuc perfectum dicatum sancto Roccho. Illustrissimus dominus omnia visitavit, sed nihil pro nunc decrevit.

Modernus parochus est sacerdos Ioannes Dominicus Fabiani, qui obtinuit huiusmodi curam per resignationem eidem factam a reverendo Felice Iudicelli eius matris fratre. Sed cum populus Lummi in animo haberet erigendi cum redditibus parochialibus insignem collegiatam antequam dicta resignatio foret sequuta, nec non dictus populus se opposuerit, **[99r]** prout in scripturis factis coram Sacra Congregatione Concilii, coram qua adhuc lis tota pendet, et duo edita sunt decreta (etc.), quorum verum tenorem hic habere nequivi (etc.), idcirco dictus praetensus parochus pacifice non possidet dictum beneficium nec residet (etc.). Ex huiusmodi lite evenerunt excommunicationes, interdicta et suspensiones editae ab illustrissimo et reverendissimo domino Mathaeo de Angelis episcopo Aleriensi, qui partibus dicti praetensi rectoris favebat. Sacerdos

Lucas Maria Maroninchi [*lire* Maraninchi] est vicarius curatus factus ex decreto Sacrae Congregationis Concilii; sed modo curam ministrare nequibat prae inimicitia suorum parentum.

Annui redditus dictae parochiae sunt librae 2300. Familiae 150. Sacerdotes 21. Animae 720. Altare privilegiatum in proparoch(iali) Sancti Antonii Abbatis altare sanctissimi Rosarii.

Prae dicta lite cum parochio plurima mala orta sunt in populo dicti loci, quae omni ordine recensere difficillimum est. In oratorio iurispatronatus Martini [99v] Iudicelli sito in loco Pirelli erectum fuit sepulchrum proprio marte, et in eo a nonnullis qui parochio Fabiani favebant functiones parochiales exercebantur. In oratorio Immaculatae Conceptionis asserti iurispatronatus reverendi Pauli Francisci Padovani missa celebrabatur pro arbitrio. Celebrata sunt matrimonia sine licentia legitimi vicarii curati (etc.). Illustrissimus ac reverendissimus dominus visitatis ecclesiis totum se dedit ad tollendos abusos qui irrepserant. Vocavit ambas partes factionis et post longum sermonem, blandis et acribus verbis et potissimum attendita sacra missione peracta (etc.), Deo adiuvente omnia composuit et conciliavit summo gaudio illius loci.

Sero recognovit omnes libros locorum piorum, et praecipue illum montis frumentarii prorsus dissipati. Sed cum adeo brevi tempore nec debitum colligi potuerit, nec debitores solvere, illustrissimus dominus constituit iudicem locorum piorum reverendum dominum Philippum Renuccoli cum facultatibus necessariis et opportunis.

[100r] Eadem die admodum reverendus plebanus Viterbi convisitator perexit ad visitandam ecclesiam Sanctissimae Annunciationis proparochialis vicariae loci Occi; et factis precibus visitavit sanctissimum Sacramentum, cuius pixis minus decens erat, et ideo eam auro liniri decrevit.

Baptisterium et sacra olea munda sunt. Altaria sunt tria. Maius, beatae Virginis Mariae Annunciatae. Secundum, altare seu cappella sancti Ambrosii, erectum a quondam Ioanne Luca Giudicelli loci dicti Occi, nescitur tamen quo anno. In eo altari seu cappella sunt satisfacienda sequentia legata pia: missae 23, onus relictum a quondam Ioanne Paulo quondam Ioannis Lucae, pro summa librarum 200; missae 20 annuae, onus relictum a quondam Mathaeo quondam Ioannis Pauli, pro summa librarum centum; missae 45, onus relictum a quondam Paulo quondam Ioannis Pauli Iudicelli, pro libris 300; missae pariter quadraginta quinque, onus quondam Mariae Franciscae quondam Pauli Iudicelli loci Occi, pro libris pariter tercentum. Demum legatum pium missarum ad rationem fructus census librarum centum, relictum a quondam Maria quondam Angeli Francisci.

[100v] Item ab haeredibus quondam Pauli Iudicelli, prout ex eius testamento rogato a notario Ioanne Baptista Olivieri anno 1732, debent celebrari tot missae quot valet una mensura

vulgo *mina di grano*; quod nisi fiat, cappellanus dictae cappellae celebret unam missam cantatam pro eleemosina unius librae, cum facultatibus se satisfaciendi super bonis testatoris.

Praeterea in eodem altari erecta est cappellania seu legatum pium missarum sex in qualibet hebdomada, erecta seu fundata ab illustrissimo domino Ioanne Petro Grimaldi nobili Ianuae, prout ex actis notarii Dominici Frodiani [*lire* Frediani] rogat(is) die 15 martii 1672. Modernus cappellanus est sacerdos Felix Iudicelli absens a Regno; ideoque nec per se nec per alium dictis missis a 22 annis satisfecit; quod cuique de loco notum est, cum in dicto altari sancti Ambrosii seu Pietatis beatae Virginis Mariae celebrari debeant.

Tertium altare, Animarum Purgantium, erectum a quondam Maria Birgitta, absque tamen ulla dote.

Manutentio ecclesiae et altarium ac suppellectilium [101r] pro tertia parte spectat ad patres Olivetanos venerabilis monasterii Sancti Venerii de Tiro et Beatae Mariae Virginis Gratiarum Porti Veneris status Genuae, ad quos dicta ecclesia parochialis pertinet. Ipsi locaverunt redditus, ignoratur tamen pro qua summa.

Affictuarii, qui sunt cuiusdam familiae de Morettis, in quolibet anno solvunt vicario amovibili, qui est sacerdos Dominicus Leca terrae Lummi, libras 200.

Ipsa vicarius amovibilis percipit libras decem census librarum centum, relict(us) a quondam Ioanne Ursino quondam Antonii Pauli loci Occi, ut ex testamento (etc.), et ab haeredibus dicti testatoris venditi Feliciano quondam Felice d'Occi, prout ex actis notarii Ioannis Antonii Assima [*lire* Astima] rogat(is) de anno 1676 die 7 maii, et pro dicta summa tenetur applicare missas 21.

Item percipit libras quinque fructus census in summa librarum quinquaginta, relict(us) a quondam Antonio Xanto, cum onere missarum decem; ignoratur tamen tempus rogiti et notarius rogatus.

Tandem percipit fructus horti relict(i) a quondam Georgetta pro [101v] missis viginti, et pariter ignoratur per acta cuius notarii (etc.).

Caeterum ecclesia sufficienter manutenetur, prout colliges ex decretis. Illustrissimus dominus pro adimplemento dictorum onerum maxime laboravit, et contra nonnullos m(oni)t(ori)um exequivum relaxavit, et solverunt; sed omnia exequi nequaquam potuit.

Antiquus titulus ecclesiae parochialis huius loci erat sanctorum Nicolai et Ambrosii, et adhuc existunt duae distinctae ecclesiae eisdem sanctis dicatae.

Familiae huius loci sunt 10. Sacerdotes 4. Animae 40. Altare privilegiatum, cum sit ecclesia vicaria (etc.), illud sancti Ambrosii.

Illustrissimus et reverendissimus dominus etiam hac nocte mansit in eodem loco Lummi, et populus continuo exhibuit maxima grati animi officia et letitiae signa, et praecipue postquam eidem pacem restituit.

Die 13 mane audita missa rediit ad conventum Marcassi.

[...]

Pro ecclesia viceparochiali Sancti Antonii Abbatis loci Lummi

Interdicto subiaceat calix maior ex auricalco, donec auro liniatur.

Conficiantur scamna quae locentur per girum retro altare maius intra sex menses, sub poena librarum centum, ad effectum asservandi in eis sacra suppellectilia.

Intra annum fundatur campana quae modo est fracta, sub poena librarum biscentum.

**[114r]** De caetero vero cum illustrissimus ac reverendissimus dominus ecclesiam decenter retentam invenerit, populi pietatem laudando ad perseverandum etiam in posterum in Domino hortatus est.